

**S. PETRI DAMIANI S. R. E. CARDINALIS,
DOCTORIS ECCLESIAE,
OPUSCULUM DE DECEM AEGYPTI
PLAGIS, ATQUE DECALOGO.**

ARGUMENTUM.

Perniciosa quaedam et teterrima vitia, quae ab omnibus, et praecipue ab iis qui arctius vitae institutum arripuerunt, evitanda esse, per Aegypti plagas indicari; iis, tanquam antidota, quae in Decalogo continentur praecepta singula singulis ex diametro opponi docet.

Dilectissimo fratri JOANNI jam non Laudensi, ideoque laudabili viro, PETRUS peccator monachus paternae dilectionis affectum.

Contempsisti nuper, fili, Pharaonem, et superbi regis ac opprimentis Aegypti simul abominatus es servitutum; necesse est ergo nunc ut, gradiens per desertum, multa tentationum genera subeas, sitis ac famis inopiam perferas, et sic per aerumnosa pericula diversaeque calamitatis angustias ad terram repromissionis attingas. Oportet ergo te ad montem Sinai cum Hebraico populo festinare, et illic divinae legis mandata percipere, ut, his tanquam telis ac lorica munitus, et insurgentium hostium jacula respuas et ingruentibus quibuslibet adversitatum casibus non succumbas. Sed haec lex data est populo quinquagesimo die postquam egressi sunt ex Aegypto. Quinquagesimus autem numerus poenitentiae dedicatur, sicut per multa Scripturarum argumenta colligitur. Quod et Jubilaeus significat annus, et quinquagesimus ille psalmus, quem David poenitendo descripsit. Et sicut illi in Evangelio debitores, quorum alter quingentos, alter debebat quinquaginta denarios (Luc. VII); ita quoque qui

debebat centum cados olei, quinquaginta scribere jussus est (Luc. XVI). Quae videlicet omnia poenitentiae odorama salubriter spirant, si non desint nares intelligentiae, quae mysterii fragrantiam sagaciter attrahant. Ut ergo dignus sis divinae legis edicta suscipere, te per poenitentiam corrige, praeteriti reatus nequitiam confitere; et sic, intra poenitentiae numerum currens, ex confessione peccati pervenies ad montem Dei. Et hoc aptissime congruit quod mons ille Sinai dicitur, quod rubus interpretatur. Per rubum sane, qui spinis undique cingitur, peccatorum nostrorum, quae Dominum pungunt, asperitas designatur. Unde per Jeremiam dicitur: «Spinis peccatorum suorum circumdedit me populus hic (Thren. III).» Et in Apocalypsi legitur: «Quia videbit eum omnis oculus, et qui eum pupugerunt; et plangent se super se omnes tribus terrae (Apoc. I).» Hic itaque mons sanctam praefigurat Ecclesiam, in qua fit et confessio simul et remissio peccatorum. Nam S. Moyses in rubo Dominum vidit, qui videlicet rubus Ecclesiam, in qua Dominus videtur, expressit. Unde et idem Moyses cum peteret, dicens: «Si inveni gratiam ante te, ostende mihi temetipsum manifeste, ut videam te (Exod. XXXIII).» Cui responsum est ut supra petram staret, et inde Domini posteriora conspiceret. Petra nimirum illa fides est, super quam Ecclesia catholica construitur, unde Dominus videtur.

DE X PLAGIS AEGYPTI ATQUE DECALOGO.

CAPUT PRIMUM.

Quod divina lex sit medicamentum plagarum.

Ab hoc ergo monte necessarium est medicamenta suscipere, quae te valeant ab eo quem in Aegypto contraxeras languore sanare. Quid enim plagae quae in Aegypto factae sunt, nisi vulnera? et quid lex illa

coelestis, nisi eorumdem fuit vulnerum medicina? Debet enim per confessionem peccator eluviem sui reatus evomere, et sic poenitentiae poculum de vasculo divinae legis haurire. Hic enim sorbetur antidotus, ut animae languentis aegritudo sanetur. Porro autem animae carnalibus illecebris dissolutae per voluptatum suarum campos et prata discurrunt, et, tanquam effrenes equi, per lenocinantis petulantiae blandimenta lasciviunt. Cohortantur enim se vicissim, sicut liber Sapientiae testatur, et dicunt: «Venite, et fruamur bonis quae sunt, et utamur creatura tanquam in juventute celeriter; vino pretioso et unguentis nos impleamus, et non praetereat nos flos temporis; coronemus nos rosis, antequam marcescant; nullum pratum sit quod non pertranseat luxuria nostra, nemo nostrum sit exsors luxuriae nostrae; ubique relinquamus signa laetitiae (Sap. II).» Isti nimirum lascivientes et hinnientes equi quanto pinguioris arvinæ sunt robore validi, tanto intrinsecus deterioris morbi noscuntur aegritudine dissoluti; et cum illis frenum divinae legis adhibetur, quid aliud quam nexus ac vinculum putrescentibus membris apponitur; ut quod dehiscere prorsus ac fluere coeperat, praeceptorum coelestium retinaculis astringatur? Hinc est quod evangelicus ille Samaritanus appropians illi qui vulneratus a latronibus fuerat, alligavit vulnera ejus, infundens oleum et vinum (Luc. X). Hinc est quod per Ezechielem pollicetur, dicens: «Quod perierat requiram, et quod abjectum fuerat reducam, et quod confractum fuerat alligabo, et quod infirmum fuerat consolidabo (Ezech. XIV).» Plagae igitur factae sunt in Aegypto, quia humanae animae vulnera infliguntur in mundo. Necesse est ergo ut vulnerati quique ad montem Sinai, hoc est ad Ecclesiam, veniant, ut eorum vulnera praeceptorum coelestium nexus astringant. Nam quot plagae fuerant, tot praecepta sunt divinitus promulgata, ut quot sunt vulnera cordis aegroti, totidem sint medicamenta quae illis valeant adhiberi.

CAPUT II.

De divinae legis promulgatione.

Sed antequam de plagarum ac legalium mandatorum concordia numero disputemus, dicendum est quia, sicut quinquagesimo die, postquam paschalis agnus occisus est (Exod. XII, XIX, XX), Hebraicus populus legitur accepisse Decalogum; ita nihilominus a resurrectione Domini quinquagesimo similiter die Spiritus sanctus super apostolos visus est in varietate linguarum (Act. II). Illic digito Dei lex perhibetur fuisse descripta, et Spiritus sanctus, qui die Pentecostes discipulis datus est, digitus Dei dicitur, sicut ipse Dominus ait: «Si in digito Dei ejicio daemona, profecto pervenit in vos regnum Dei (Luc. XI).» Audit illic populus voces atque tonitura clangoremque buccinae perstreptem; aspicit lampades et fulgura montemque fumantem. In vocibus nempe et tonitruis ac tubae clangoribus vehemens clamor est praedicantium, in lampadibus autem atque fulguribus claritas miraculorum. Quae scilicet omnia sancti Spiritus sunt virtute completa; quo flagrantes apostoli in varietatibus intonuere linguarum, et radiarunt splendore virtutum. Quod autem Dominus in igne simul ac fumo descendit, mystice docet quia, sicut fideles radio suae cognitionis illuminat, sic infidelium oculos quasi per fumigantes tenebras erroris obscurat. Hinc est quod Dominus in Evangelio dicit: «Ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, videant, et qui vident, caeci fiant (Joan. IX).» Et per Isaiam dicitur: «Succensa est quasi ignis impietas, veprem et spinam vorabit; et succendetur in densitate saltus, et convolvetur superbia fumi (Isa. IX).» Sed quoniam epistolari compendio haec sacramenta non congruunt, quae prolixis etiam voluminibus explicari vix possunt, redeamus ad plagas Aegypti et mandata legis; et videamus hinc nostra vulnera, illinc medicamenta coelestia sub eodem numero contineri; ut quot sunt morbi, totidem apponantur

antidoti; quatenus, dum suum cuique vulneri malagma salutis apponitur, rationalis anima mox ad statum incolumitatis pristinae per omnia reformetur. Porro autem cum per lasciviae fluxum resolvitur anima, divinae legis indiget ligatura. Et cum mandatorum coelestium vinculis alligatur, ad robur optatae salutis per objecta vulneribus fomenta reducitur.

CAPUT III.

De prima plaga.

Age igitur, prima plaga est cum aquae vertuntur in sanguinem (Exod. VII). Porro autem istae plagae non fiunt nisi in Aegypto, id est in corde tenebroso et caligine caecitatis oppresso. Cui scilicet aquae vertuntur in sanguinem, cum caeca mens, quantum ad se, confundit ac violat rectae fidei puritatem. Sicut enim per aquam omnes de visceribus terrae segetes prodeunt, sic ex fide spiritualia proferuntur alimenta virtutum. Tunc igitur aqua in sanguinem vertitur, cum caecitate perfidiae cor insipiens obscuratur. Sicut de quibusdam dicit Apostolus: «Quia cum cognovissent Dominum, non sicut Dominum glorificaverunt, aut gratias egerunt; sed evanuerunt in cogitationibus suis, et obscuratum est insipiens cor eorum (Rom. I).» Cui primae plagae, hoc est pestilentissimo vulneri, mox adhibetur primi medicina praecepti: «Audi, Israel, Dominus Deus tuus Deus unus est (Deut. VI).» Hoc est enim medicinale vinculum quo perfidiae vulnus debeat alligari, ut, hoc audiens, unum solummodo Deum colas, et in plures deos marcescentis perfidiae putredinem non effundas. Et, justo Dei iudicio, juxta litteram factum est ut illius fluvii sanguine potarentur Aegyptii in quo primitus pueri necabantur Hebraei.

CAPUT IV.

De secunda plaga.

Secunda vero plaga ranarum est abundantia (Exod. VIII). Rana clamorosum est animal, et in limosis vociferatur ex more paludibus. Cui similes judicantur haeretici ac philosophi, qui, velut super paludes limosas, hoc est inter turbas squalore perfidiae sordidas, vanis adversus Christum vociferantur obloquiis; et, dum per argumenta fallaciae non desinunt importunis garrere clamoribus, inane quidem in auribus taedium, sed nullum mentibus vivendi afferunt cibum. Cui morbo, qui videlicet in anima lethaliter saevit, secundum praeceptum tanquam poculum salutis occurrit. Secundum autem praeceptum est: «Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum (Exod. XX).» In vanum namque Christi nomen assumit qui eum non Creatorem, sed tantummodo creaturam credit. Vanitati enim creatura subjecta est. Et ideo tales homines sunt procul dubio vani, quia, veritatem Dei commutantes in mendacium, fidem adhibent vanitati.

CAPUT V.

De tertia plaga.

Tertia vero plaga ciniphe sunt (Exod. VIII). Hoc autem animal tam minutum est ac perexiguum, ut, dum se per aerem librat, et huc illucque vagabundis anfractibus instabiliter volat, visum cernere volentis effugiat. In corpore tamen nostro cum sederit, pungit: adeo ut cum eas nequeas videre dum volant, compellaris sentire cum stimulant; et, dum circumvolantes, seseque importunius ingerentes, vultus nostros infestare non desinunt, volentes quiescere non permittunt. Quamobrem haec plaga vagationis et inquietudinis vitium manifeste designat. Quo videlicet morbo quidam laborantes inutiliter huc illucque discurrunt, et, velut malis Vertumnis obnoxii, per impatientiam non quiescunt. Sed quoniam ciniphe istae

perexiguae sunt et noxiae, ut non tam pondus videantur habere quam morsus, qui vitio vagationis inserviunt, quod per ciniphe designatur, leve quidem arbitrantur esse peccatum, sed non levi reatus perfodiuntur aculeo. Non aggravat pondus, sed penetrat morsus; quia quanto vitium hoc levius deputant, tanto major necesse est ut peccati stimulus animae languentis inferiora transfigat. Huic itaque languori tertii praecepti obviat medicina, cum dicitur: «Memento ut diem Sabbati sanctifices (Exod. XX; Deut. V).» Sabbatum, id est requies. Ubi est sanctificatio Sabbati, ibi procul dubio spiritus Dei. Unde scriptum est: «Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem et quietum, et trementem sermones meos?» (Isa. LXVI.) Pensanda sunt verba, quia si Spiritus sanctus requiescit tantummodo super quietum, ergo deserit inquietum. Enimvero, sicut secundum praeceptum refertur ad Filium, ita hoc tertium pertinet ad Spiritum sanctum, qui nihilominus tertia est in sancta Trinitate persona. Nam et illam tertiam plagam Spiritui sancto incantatores ascribunt, cum et ipsi ciniphe excitare non possunt, dicentes ad Pharaonem: «Digitus Dei est hic (Exod. II).» Ad colendum hoc Sabbatum, discipulum suum provocabat Apostolus, cum dicebat: «Attende lectioni et doctrinae (I Tim. IV).» Et alibi: «Orate sine intermissione (I Thess. V).» Ad hujus Sabbati cultum Dominus nos provocat per Prophetam, cum dicit: «Vacate, et videte, quoniam ego sum Dominus (Psal. XLV).» Ac si dicat: Spirituale sabbatum colite, vagationis inquietudinem devitate, ut per Spiritus sancti gratiam fixos, non vos ciniphe inquietent, sed spiritualis sabbati cultura sanctificet. Notandum praeterea quoniam tria duntaxat ista praecepta in una descripta sunt tabula; alia vero septem continebantur in altera. Ista siquidem ad charitatem Dei; illa vero ad amorem pertinent proximi. Et idcirco non amplius quam duae sunt tabulae, quia geminae sunt charitatis impressiones distinctae. Tria plane praecepta in una tabula, septem vero descripta fuisse in alia, ex hoc

maxime colligitur quod beatus Apostolus ad Ephesios ait: «Filii, obedite parentibus vestris in Domino, hoc enim justum est (Ephes. VI).» Honora patrem et matrem, quod est mandatum primum in promissione, ut bene sit tibi, et sis longaeuus super terram. Cur autem primum hoc mandatum dicitur, nisi quod in principio secundae tabulae positum est? Quod etiam in promissione dicitur, quia quod in aliis praeceptis non invenitur, hoc praeceptum longaeuitatis promissio sequitur. Praemisso nimirum hoc quod dicitur: Honora patrem et matrem, ut bene sit tibi, et sis longaeuus super terram. Hoc ergo praeceptum, quod quartum est in generali numero mandatorum, in secunda tabula ponitur primum.

CAPUT VI.

De quarta plaga.

Cui contraria est quarta plaga, hoc est cynomya, quae dicitur musca canina (Exod. VIII). Nihil enim tam caninum est quam ignorare parentes, et illis qui nos genuerunt, reverentiam non deferre. Eos etiam tanquam muscae circumvolantes canini mores exagitant, qui, dum deferre parentibus nesciunt, per levitatis inconstantiam a naturali gravitate recedunt; eosque tanquam caninae muscae dilacerant, dum se contra genitores suos quasi ringentes et oblatrantes per impatientiam vexant. Ut haec ergo plaga curetur, digna parentibus reverentia deferatur.

CAPUT VII.

De quinta plaga.

Quinta plaga mors pecorum est (Exod. IX). Omnes enim qui, spreto conjugali toro, alienarum se mulierum

foeditatibus polluunt, et per obscenae libidinis passim fluxa resolvunt, quid aliud quam bruta dicenda sunt pecora, atque a ratione spiritualis intelligentiae penitus aliena? Facti sunt enim, «sicut equus et mulus, quibus non est intellectus (Psal. XXXI).» Et per Jeremiam dicitur: «Satiavi eos, et moechati sunt, et in domo meretricis luxuriabantur; equi amatores in feminas emissarii facti sunt, unusquisque ad uxorem proximi sui hinniebat (Jer. V).» Haec ergo pecora necesse est ut funditus extincta depereant, nisi divinae legis medicamen accurrat. Dicitur ergo: «Non moechaberis (Exod. XX).» Hoc itaque quintum praeceptum quintae plagae tanquam medicinalis nexus opponitur, ut, dum proprio toro quisque contentus esse compellitur, nequaquam in extraneos carnis amplexus intemperantia diffrenatae libidinis extendatur.

CAPUT VIII.

De sexta plaga.

Sexta plaga sunt vulnera, et vesicae turgentes atque ferventes (Exod. IX). In vulneribus scilicet arguitur dolosa odientium ac purulenta malitia; in vesicis, tumens et inflata superbia; in fervore, aestuans ira et inflammati furoris insania. Sunt enim animae quaedam homicidales, in quibus hae pestes oriuntur et acerrime saeviunt; easque, nisi humanum sanguinem fundant, quiescere non permittunt. Huic itaque furenti morbo et immaniter saevienti sextum praeceptum tanquam medicina coelestis occurrit, quo dicitur: «Non occides (Exod. XX).» Ut hoc quilibet audiens, exortam malae voluntatis in semetipso perniciem reprimat, nec extrinsecus ad effundendi cruoris effectum conceptum malitiosae conscientiae virus erumpat.

CAPUT IX.

De septima plaga.

Post haec plaga grandinis ponitur, ubi scilicet grando et ignis pariter ferebantur (Exod. IX). Porro autem duo haec contraria sunt, frigus in grandine, calor in igne; sic qui aliena furantur, et a fraterna charitate sunt frigidi, et ardore cupiditatis accensi. Ubi etiam fulgura atque tonitrua mista fuisse cum grandine perhibentur. Quid autem per fulgura et tonitrua, nisi pavor intolerabilis designatur? Et hoc furibus familiare est, ut primo capi, deinde puniri tremefactis visceribus paveant, nec tamen a semel conceptae nequitiae perpetratoe quiescant. Istaenimirum pestes, hoc est, grando, ignis, fulgura, simul atque tonitrua, eorum corda qui clam aliena diripiunt, tanquam quaedam arva, devastant: et, si qua sunt, omnes bonae voluntatis fruges, et germina dissipant. Huic itaque pessimo vulnere septimi succurrit medicina mandati, cum dicitur: «Non furaberis (Exod. XX).» Ut hoc quisque cognoscens, cordis sui segetes hac multiplici peste non perdat, sed bonorum operum frugibus animae suae cellarium repleat, implens illud apostolicum: «Qui furabatur, jam non furetur; sed laboret manibus suis, ut habeat unde tribuat necessitatem patientibus (Ephes. IV).»

CAPUT X.

De octava plaga.

Octava autem plaga locustae sunt (Exod. X). Per haec animalia, quae segetum germina destruunt et pestifero fruges ore corrodunt, qui possunt melius designari quam ii qui fratribus detrahunt, et falsum illis crimen imponunt. Nam quasi alienae segetis germina devorant, dum fratrum suorum non modo bona supprimunt, quae praedicare debuerunt, sed ultro etiam nota eos falsi reatus infamant. Rodunt itaque, quia non

modo eorum vera bona per invidentiam contegunt, sed eis etiam stigma fictae pravitatis inurunt. An isti tanquam locustae non rodunt, quibus per Apostolum dicitur: «Si mordetis et comeditis invicem, videte, ne ab invicem consumamini?» (Gal. V.) Huic itaque plagae mandatum illud competenter opponitur, quo dictum est: «Non falsum testimonium dices (Exod. XX).» Ut videlicet falsus quisque testis, qui non erit impunitus, ab alienae vitae morsu se reprimat, locustinos dentes abjiciat, et virentia segetis alienae germina non abrodat.

CAPUT XI.

De nona plaga.

Jam nona plaga est densitas tenebrarum (Exod. X). Nemo magis in interiores tenebras labitur, quam is qui conjugalis thalami violat fidem, et alienam invadere quaerit uxorem. Sed has tenebras, quas utique cor luxuriae deditum tolerat, divinae legis splendor illustrat, cum dicitur: «Non concupisces uxorem proximi tui (Exod. XX).» Ubi notandum quia non dicit, non tolles sive non pollues, sed quod plus est, non concupisces uxorem proximi tui. Superius certe dictum est, non moechaberis; hic dicitur, non concupisces uxorem proximi tui. Ergo de re una duo videntur esse mandata. Illic enim moechiae alienum torum violantis effectus; hic etiam violare volentis prohibetur affectus. Illic spurcus et illicitus condemnatur adulterii coitus; hic etiam adulterinae concupiscentiae compescitur appetitus. Et revera ipsa concupiscentia violandi alieni matrimonii adulterium est, sicut Dominus ait: «Qui viderit uxorem alterius ad concupiscendum eam, jam moechatus est eam in corde suo (Matth. V).» Non ergo quispiam alienam concupiscat uxorem, ne palpabilem tenebrarum patiatur in corde caliginem. Quam et si forte jam patitur, corruscantem radium

mandati legalis admittat, et sic tenebras conscientiae caecutientis abjiciat.

CAPUT XII.

De decima plaga.

Postremo decima plaga est mors primogenitorum (Exod. XI). Duos filios habet homo, nimirum cum facit opus quod ad hanc pertinet vitam, et cum spirituale quid operatur quod ad vitam tendit aeternam. Sed spiritualis fructus, quasi primogenitus noster, in nostris operibus debet obtinere primatum. Unde et Dominus: «Primum, inquit, quaerite regnum Dei, et haec omnia adjicientur vobis (Matth. VI; Luc. XII).» Ac si dicat: Gignite spiritualem fructum, qui vester sit utique primogenitus; qui vero ad hujus vitae pertinet necessaria, sit in haereditate secundus. Huic enim primogenito cum Jacob debetur benedictio (Gen. XXIV), de Esau vero ejusque similibus Scriptura dicit: «Haereditas, ad quam in principio festinatur, in novissimo benedictione carebit (Prov. XX).» De his duobus liberis in Deuteronomio per figuram dicitur: «Si habuerit homo uxores duas, unam dilectam, et alteram odiosam, genueritque ex eis liberos, et fuerit filius odiosae primogenitus, volueritque substantiam inter filios suos dividere, non poterit filium dilectae facere primogenitum, et praeferre filio odiosae: sed filium odiosae agnoscet primogenitum, dabitque ei de his quae habuerit cuncta duplicia; iste est enim principium liberorum ejus, et huic debentur primogenita (Deut. XXI).» De quibus omnibus verbum illud hic duntaxat ducimus exponendum, quod uxor dilecta sit vita mollis, deliciosa, carnalis; odiosa autem uxor est vita spiritualis, utpote rigida, districta, et omnino carnalium delectationum illecebris inimica. Hujus ergo filio primogenita debentur, quia spiritualis vitae fructus illum habere meretur in praemium, qui est, juxta Joannem,

«Primogenitus mortuorum, et princeps regum terrae; qui dilexit nos, et lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo (Apoc. I).» Sed hic primogenitus, id est spiritualis fructus, illi procul dubio moritur, qui, suis non contentus, alienis rebus intendit; quod fraterni juris est appetit, et bona proximi succensis avaritiae facibus concupiscit. Sed decimum legis praeceptum est: «Non concupisces rem proximi tui (Exod. XX).» Hoc igitur ille mandatum diligenter audiat, ne primogenitum perdat, ut de primogenito suo gaudeat, et nequaquam quod alienum est concupiscat.

CAPUT XIII.

Divinorum praeceptorum emolumenta et praeconia.

Haec sunt, fili charissime, divinae legis edicta: ab his omnia Scripturae sacrae prodeunt instrumenta, his omnibus sanctae religionis innitur disciplina. Haec certe fluentium vulnerum vincula, haec salubris est animarum languentium medicina. Has plane omnes plagas, quas in Aegypto pertulimus, imo cunctos interiorum aegritudinum morbos, quos in planitie saecularis vitae concepimus, apud montem Sinai (Exod. XIX), hoc est, in sublimitate sacri propositi, curare debemus. In his itaque semper esto, haec sedulus meditare: et, ut ita loquar, haec pigmenta vel species in ptisanario mentis tuae jugiter tere. Ex hac igitur aromatum cella non exeas; sed hic omnes animae tuae latebras curiosius inspice; cuncta viscerum tuorum arcana scrutare; medicamenta vulneribus, prout cuique apta perspexeris, adhibe, et incolumitatem postquam semel adeptus fueris, pervigili satage solertia custodire. Nam peior est recidiva quam febris; et, sicut medici perhibent, diaeta non minus est observanda quam cura; videlicet ut alimenta quae sunt contraria caveas; et quidquid noxium, quidquid acceptis

antidotis probatur adversum, tanquam virus lethale contemnas. Hoc est plane decachordum illud psalterium, quod crebra plectri jubemur impulsione percutere, hoc est, sanctis operibus quasi tot chordas quot sunt mandata, crispare. His itaque bene compositis, cum S. Moyse montana conscende, districtioris vitae fastigium arripe, ut cum eo simul merearis audire: «Vade, et dic eis: Revertimini in tentoria vestra; tu vero sta hic, et loquar tibi omnia mandata, et caeremonias, atque judicia (Deut. V).» Tu quoque dans mundo repudium, cum Domino jugiter permane, et in ejus conspectu promptus assiste. Neque enim dicit: Sede hic, vel recumbe mecum; sed, sta hic mecum. Ut intelligas ipsum spirituale otium in laboris exercitio constitutum. Sta igitur in monte cum Domino, ut infoederabile bellum cum spiritibus nequitiae jugiter conseras, ut illices passionum carnalium petulantias non enerviter frangas. Sic itaque adversus ingruentium vitiorum barbariem dimica, ut rebelles cum Josue victor obtineas reges (Jos. X), ipseque te jubeat victricibus plantis eorum calcare cervices; quatenus, hostium manubiis opulentus, et victoriarum titulis insignitus, terram repromissionis triumphator attingas, imo cum veris Israelitis terram viventium haereditario semper munere possideas.

Sit nomen Domini benedictum.